



DISPVTATIO XVII.

DE COENA DOMINI.

THESIS I.

Sacramentum initiationis Novi Testamenti, puta Baptismum, ordine convenientissimo excipit Sacramentum Confirmationis, quod est sacratissima Cœna Domini & Servatoris nostri Iesu Christi: tum ob causas alias, tum quod ea est fidei nostræ, in baptismo nobis collatæ, respectu nostræ infirmitas, ut nisi subindè confirmetur, mox penitùs fatiscat & intereat.

2. Articuli hujus doctrinam brevi admodum perspicuitate, & perspicua brevitate confessionis nostræ describit prototypon: in hunc modum: De cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi, verè adsint & distribuuntur vescentibus in cœna Domini: Et improbant secus docentes.

3. Apologia Confessionis, pari & brevitate & diluciditate usa, Ecclesias protestantium docere asserit, Quod in cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi

K k 2

Christi